

E P I S T O L A

ad Aristotelem misisse, nō eum recte fecisse, quod disciplinas quibus ab eo ipse eruditus fuisset, libris foras æditis euulgasset: Nam qua, inquit, alia re præstare cæteris poterimus, si ea quæ ex te accepimus omnium prorsus fuerint communia. Quippe ego doctrina antea malim, quàm copiis atq; opulentis. Achillem, Græcorum omnium quotquot ante Troiam fuerunt fortissimū, Legati ab Agamemnone missi, musica tractantem, & sese cantu ac cythara permulcentē in castris deprehenderunt. Sic enim inducit ipsum, ueteris ille sapientiæ ac uirtutum magister acerrimus, ipsiq; adeò Iurisconsultis uates uenerandus Homerus, ait autem de ipso loquens τὸν δ' εὖρον φρένας περπομενον φόρμιγγι λιγυρίν. Caius Cæsar, supra cæterarum litterarum curam hoc studium, apud Alexandrinos degens, hanc ipsam Astronomiam à sacerdotibus Aegyptiis discere sustinuit, eiusq; rationem sic acceptam ad Latinos traduxit. Taceam enim nunc, Historiæ illius pulcherrimū modum, quæ inter media arma ab eo descripta, omnium nunc scholarum diligentiam miris quibusdam modis exerceri solet. Diuo Augusto Cæsare quis Imperator magis strenuus, quis eo ipso Musis magis amicus. Præterea infinita. A nostris seculi principibus quàm multa exempla proponere liceat, quibus appareat ipsdem uiris & armorum laudem, id est, nobilitatis disciplinam, simul & litterarum studia magnopere cordi fuisse. Quæ de Fridericho tertio Imperatore traduntur paulò ante retuli, addi potuerat Sigismundi archiducis Austriæ consilium, cuius extant tum in reliquas literas, tum in disciplinas Mathematicas, earumq; antistitem Purbachium, haud dissimilia exempla. Matthiæ regis Vngariæ præclara sanè & nulla non ætate memoranda beneuolentia est. Diui Cæsaris Maximiliani, erga disciplinas quidem in uniuersum omnes, præcipue uerò Mathematicas tantus ardor fuisse traditur, ut unius hominis, Ioan. Stabij, admiratiōe prælectionibus pub. tum Astronomiæ, tum Mathematicæ reliquæ noua stipendia crearet. Sed quid ego rursus ista repeto lōgius, cum propiora adhuc exempla nobis suppetere queant. Equidem cum ante annos non multos à Viris optimis tuisq; familiaribus, de prædicari audissem singularem amorem, ac beneuolentiam erga studia litterarum omnia, affirmabant autem non uulgari more ea te amplecti solitum, sed litterarum pulchritudine adductum, scilicet, quod in his uersatus esses, easq; ad amissim teneres: gestiebam tum id ipsum cognoscere & præsens aspicerem, sic fore sperans, ut meæ quoq; alacritati calcar adderetur, intuenti hoc exemplum pulcherrimum, qualia ego exempla ad excitandos nostros animos uehemēter conducere existimo. Dum quis cognoscat, inquam, insignem Heroem, claritate generis, familiæ nobilitate ac diuitiarū beata copia fulgentem, musarum quoq; sacris suum nomen dedisse, & in earum artis ita uersari, ut cum maximo & exercitatissimo quoq; mista paria facere possit. Fauit itaq; hic Apollo mihi, aut quisquis alius itineris eius dux nobis Deus extitit. Nam in æditam illam ac pulcherrimam arcem subducens, honestissimo spectaculo beatū memere reddidit. Deus bone, quantum ego tum admirabar uirtutum illius loci agmina. Magnificentiam dico eius domus, ac beneficentiā, decente quadam morū grauitate, & suauiterborū candore, ita delibutam, ut cogitatio certè mihi animum subierit, an è moribus

libus